

fons omnium virtutum et in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.

Tamen coaptando convenientia presenti structurę ponam singulas singulis cordibus, adiuvante nos Scriptura. Iusticia in Abraham de quo legitur¹: 'Credidit autem Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam'; prudentia David, de quo legitur²: 'In omnibus quoque viis suis David prudenter agebat et Dominus erat cum eo'. Et iterum³: 'Prudentius se agebat David, quam omnes servi Saul'; temperantia⁴ in Iechonia, in quo omnis voluptas extincta erat in captivitate; fortitudo in tempore Christi, quando fortis diabolus a fortiore Christo et eius corpore devictus est. Unde et Gabrihel, qui fortitudo Dei dicitur, missus perhibetur ad Mariam. De quo tempore specialiter dictum est⁵: 'A diebus Iohannis regnum cęlorum vim patitur et violenti rapiunt illud'. Supradicti ordines ternas habent gemmas, cum eadem iustitia, prudentia, temperantia⁴, fortitudo, sanctę trinitatis fuerint fide consecrata. In uno quoque tempore nostro quattuor temporum tres dies sunt ieiunii. Deo enim, sanctę Trinitati, coniunguntur per sacrum ministerium fideles, ut dictum est. Possumus sane in vario decore lapidum spiritualium accipere carismata virtutum ac miracula sanitarum. De quibus ipse Dominus apostolis: 'Infirmos', inquit⁶, 'curate, mortuos suscite, leprosos mundate, doemones eicite'. Quae⁷ omnia haec oportet agere in nomine sanctę Trinitatis. Vere sive hoc sive illud sive utraque designent, recte duodenarius in rationali numerus fieri precipitur, ut eorum solummodo actus et miracula, qui apostolice fidei et caritatis unitatem sequuntur, accepta Deo esse noverimus. Quod sequitur nostra consuetudo in temporibus. Hoc totum ideo dixi, ut recordemur qui Abraham filii⁸ sumus, et consecrationis donum accipimus, apostolorum conversationis et meriti. Ut, sicut in memoracione dominici ieiunii XL dies ieiunamus, ita in memoracione apostolici⁹ ieiunii XII.

Nunc oportet dicere de diebus fixis ieiuniorum, idest quarta feria et sexta et sabbati. Sanctus Augustinus ita refert de quarta feria et sexta ad Casulanum presbiterum¹⁰: 'Cur autem quarta et VI maxime ieiunet ecclesia, illa ratio reddi videtur, quod considerato evangelio, ipsa quarta sabbati, quam vulgo quartam feriam vocant, consilium repperiuntur ad occidendum Dominum fecisse Iudei. Intermissio autem uno die, cuius vespera Dominus pascha cum discipulis manducavit, qui finis fuit eius diei, quem vocamus quintam sabbati, deinde traditus est ea nocte, quae iam in¹¹ sextam sabbati, qui dies passionis eius manifestus est, pertinebat. Hic dies primus

1) Iac. 2, 23. 2) 1. Reg. 18, 14. 3) Ib. 30, 4. 4) 'temperantia' Hs. 5) Matth. 11, 12. 6) Matth. 10, 8. 7) L. 'Quia'. 8) 'filii' Hs. 9) 'dominici ap.' Hs. 10) Ep. XXXVI cap. 13. Edit. Migne II, 150. 11) 'ad' Aug.